



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 36. Oppidum Divo Ignatio sacrum alio loco inter belli tumultus
reædificatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

AUERO reductorum numero, Marcellus Lorençana Oppidum & Templum commodiori in loco condidit, Ignatianumque nuncupavit. Sed Paranenſes recenti dedecore exasperati, & inſuper Chriſtiani nominis odio barbaram ferociam ſtimulante; novi Oppidi ruinam machinantur: multoque quàm antea majori numero conſpirantes, pictis ad Barbaræ militiæ modum corporibus, fluvium tranſmittunt, ac novo oppido proxima loca deprædantur. Quod ubi exploratores nunciaverunt, immenſum quantum trepidatum eſt. Nam Hiſpani abierant, & hoſtes numero præſtabant. In his anguſtiis, Lorençana Dei fiducia fretus, ſalutis animarum quàm corporum diligentior, in utramque tamen curam intentus, Sacra ne profanentur comburit, Catechumenos omnes raptim Baptiſmo expiar, Martyrii coronam, ſi in eo prælio cadant, adpromittit; imbellem turbam in ſylvam recipit; omnia denique boni paſtoris officia exequitur. Nec deſuere ſuis partibus Neophyti, ultrò ſe pro incolumitate Sacerdotis ſui offerentes. In his rebus dum ſunt, ab exploratoribus nunciatur, hoſtes neſcio quo metu perſtrictos intra fines ſuos ſe recepiffe. Nec dubitatum ad eos terrendos multum valuiſſe Lorençanæ ſanctitatem, continuis precibus pro ſalute gregis Superos fatigantis. Sed ejus ſocius Franciſcus à Sancto Martino, ingenti eà occasione perculſus timore, ad inſaniam redactus eſt. Ut videas, quibus animis opus ſit inter Barbarorum terrores, & necis perpetuum periculum: quamvis verò poſtmodum ad ſanam mentem redierit, conſtantiam tamen in Societate non tenuit. Pervagatâ iterati periculû famâ, altera cohors Hiſpanorum ab Prætorè ad retrahendum Lorençanam mittitur: ſed is in opinione perſiſtens, negat ſe ſtationem ſuam deſerere velle. Ad urbem tamen negotiorum ergò tantisper excurrit, unde auctus altero ſocio ad oppidum rediens, novos belli tumultus reperit. Nam abſente eo hoſtes vaſtationem occæperant, pergebantque excuſſionibus inſeſtare omnia. Devaſtationem excepit peſtis, ex peſte orta Neophytorum diſperſio, & quorundam abalienatio, ita ut Lorençana, per ludibrium & iram à Barbaris, tanquam ſi bellum, peſtem & famem ipſe feciſſet, verberibus iteratò malè exceptus ſit. Accedebat dæmonis invidia, omnia more ſuo turbantis, & in publicis Barbarorum congreſſibus palam ab Lorençanæ confortio ſuos aſſeclas prohibentis. Sed vir planè Apoſtolicus denuò reduxit Neophytos, & beneficioram magnitudine, necnon patiendi artibus, in officio continuavit, oppidumque ordinavit. Præterea nullam omittebat occaſionem de Paranenſibus bene merendi, quò eos ad Fidem pelliceret. Tribus captivis morti adjudicatis à Prætorè veniam impetravit, & donis onuſtos ad Paranenſes ſuos remiſit, viciffimque ab iſdem tres pueros itidem captivos redemit, & infamibus Antropophagorum epulis ſubduxit. Denique in foundatione novi Oppidi Rector Lorençana, per biennium extra Collegium egregiè laborans, Societatem noſtram præclaro facinore decoravit, viamque, fundato hoc Oppido, ſtravit Sociis Parana & Uruaica populos ſub Chriſti jugum aliquando miſſuris.

SUB eadem tempora memoratur Societatis ad Guaicuræos expeditio, quorum mores breviter perſtringam, ut, cognitâ gentis & locorum conditione, labores Sociorum magis eluceſcant. Guaicuræa gens omnis bipartita eſt: altera pars Guaicuru, altera Guaicuruti, tolerabiliori nomine, quàm ingenio, nuncupantur. Utrique, ſi Aſſumptionis urbem ſpectes, in oppoſita Paraquarii ripa, quâ Peruviam reſpicit, nullâ certa ſede habitant. Ibi tamen frequentiores ſunt, ubi Pilcomaius, è Peruviz montibus ortus, in Paraquarium ſeſe exonerat. Cæterum, quaqua lubido eſt, oppida ſua circumferunt: ſtoreas plicatiles pro domibus habent, quas ceu ovium caulas hîc vel alibi explicant: ſerendi artem negligunt potiùs, quàm ignorant, venatione piſcationeque veſcuntur. Naturam qualiũcumque venenatorum animalium eſu ab teneris unguiculis aſſuefaciunt: vermes, viperas, tygridum leonumque carnes, innoxie devorant. Fœminæ barbaro, ſed honeſto, more ſe cõtègunt: viri ad conciliandam fornicidnem nuda corpora coloribus maleolentibus à capite ad calcem media ex parte deturpant potiùs, quàm pingunt. Barbula loco digitalem lapidem miento inferunt, capillos bitumine liniunt, calvitiam ſibi arte faciunt,

CAPUT XXXVI.

Oppidum Divo Ignatio ſicrum alio loco inter belli tumultus edificatur.

Hoſtes inſurgunt.

Marcelli Lorençana ſiſtencia.

Sollicitudo.

Paranenſes fugiunt.

Franciſcus à Sancto Martino metu ad inſaniam redigitur.

Hiſpanorum auxilia.

Paranenſium inſeſtationes.

Lorençana ab Barbaris variè vexatur.

Reducit Barbaros.

Paranenſes conciliare contendit.

CAPUT XXXVII.

Guaicuræorum mores.

Guaicuræi bipartiti.

Palabundi.

Piſti.